



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Chronicon Monasterii Bödecensis Ordinis Canonic. Regul.
S. Augustini in Diœcesi Paderbornensi**

Probus, Johannes

Monachij, 1731

VD18 12260568

Caput II. Sacerdos infirmus intercessione B. Meinulphi convaluit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64645](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-64645)

duceretur, sicque factum fuit, ut qui robusto, ac juvenili corpore exierat, inutilis factus sit, pedibus incedere non valens, jam jamque super terram rependo cum suis pedibus miserabiliter ad totam vitam cum sua maxima confusione extiterit; Idem etiam vir non solum claudus & inutilis factus fuit, sed ita depauperatus, ut uxor ejus in miseria paupertatis suæ à Procuratore dicti Monasterij remissionem petierit; supradictus insuper Militaris, qui præmemoratum spolium fecerat, non impunè abivit, etenim post dictam spoliationem elegantissimus & fortissimus de caballis suis subitanea morte extinguebatur.]

C A P U T II.

Sacerdos infirmus intercessione B., Meinulphi convalescit.

Erat quidam devotus Sacerdos oppidi *Geseke*, qui habebat singularem devotionem ad B. MEINULPHUM, & ob hanc causam habebat in Breviario suo Suffragium de eodem, quod consueverat ad honorem ejus quotidie persolvere. Contigit verò ob causam, quam DEUS tantum novit, ut idem quasi amens factus à suis parentibus die ac nocte custodiretur, aliqui etiam Sacerdotes oppidi *Geseke* Breviarium ejus, ne ex horarum suarum Lectione, quia modò debilis capite erat, totus furibundus redderetur, clandestinè abstulerunt; tamen quia B. MEINULPHO prædictus infirmus Sacerdos in precibus suis solitus erat inservire, per ejus piam intercessionem apud DEUM miserendi tempus advenit; nam nocte quadam præsentibus suis eum custodientibus, soinno autem oppressis, surrexit Sacerdos & abivit, & de quodam angulo juxta focum Breviarium suum extra hens aperuit, & orationis Suffragium de B. MEINULPHO persolvit, quo facto suorum sensum cæperat resumere sanitatem, post hoc cùm eadem cæpta sanitas aliquale habuit incrementum, qui eam per intercessionem B. MEINULPHI sibi adesse novit, tale votum fecit, ut vellet (quod etiam adimplevit, & sanus in suis sensibus factus permansit) cum duobus Sacerdotibus sibi sociatis sacras ejus reliquias in gratiarum actionem visitare.

O 3

CAPUT